

DE LIBERIS EXHIBENDIS SEU DE DUCENDIS
ET DE HOMINE LIBERO EXHIBENDO.

8.8.1

Imp. Antoninus A. Iustino.

Si, ut proponis, cum tuae potestatis esses, super rebus matris obtinuisti,
potes eos qui tibi condemnati sunt convenire. quod si extitit, qui te filium
et in sua potestate esse contendit, interdicto in eam rem proposito
de fide intentionis eius quaeretur.

PP. VI id. April. duobus Aspris consss.

[a. 212]

8.8.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Cyrillae.

Adi praesidem provinciae ac postula filios tuos exhiberi.

Subscripta V id. April. Byzantii AA. consss.

[a. 293]

8.8.3

Idem AA. et CC. Euodiae.

Si ad instar interdicti de exhibenda filia Philippi eum conveniendum putaveris,
rector aditus provinciae suam vobis accommodabit notionem.

S. XII k. Dec. Nicomediae AA. consss.

[a. 293]